



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Concilia Galliæ Narbonensis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1668**

VI. Acta concordiæ initæ inter Guifredum Archiepiscopum & Berengarium  
Viceconitem Narbonensem anno MLXVI. Ex archivo Archiepiscopi  
Narbonensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14646**

## VI.

Acta concordiae initae inter Guifredum Archiepiscopum & Berengarium Vicecomitem Narbonensem anno MLXVI.

*Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.*

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis. Manifestum sit omnibus hominibus praesentibus & futuris quod magna discordia erat inter Guifredum Narbonensem Archiepiscopum & Bernardum Berengarium Vicecomitem ejusdem civitatis. Ad ultimum venerunt in potestate & in manu Domni Raimundi Comitis sancti Aegidij, & Domni Raimundi Comitis Bedaldunensis, & Durandi Tolosani, & Raimundi Elenensis, & Berengarij Jerundensis Episcoporum, Sicardi Rainardi de Piriniano, & Bernardi de Minerba, & Ermengaldi de Corciano, & Raimundi Guillelmi de Fabrezano, Alfarici de sancto Nazario. In primis conqueritur Gifredus Narbonensis Archiepiscopus super Bernardum Berengarium Vicecomitem, quod aufert ei ipsam sedem sanctorum Justi & Pastoris, & terram quam ibidem est, & medietatem civitatis Narbonae ex parte Circij, & tures quae in eadem parte sunt, & ipsum Capitolium quod ibidem est, & medietatem castris de porta regia, & medietatem castris de porta aquaria, & introitum & exitum civitatis, & medietatem omnium liddarum quae veniunt in Narbona civitate sive per terram sive per aquam vel in suis terminis, & medietatem cordae, & piscationem Atacis, scilicet de molendina de Filo usque in stagnum. De cetero con-

queritur Guiffredus Archiepiscopus quòd aufert ei ipsas bordarias quæ sunt ultra pontem in parrochia sancti Pauli, in villa quæ dicitur Censerada, quæ est alodio sanctorum Justi & Pastoris, sicut sonat in Præceptis Regum. Quæ autem bordariæ sunt à capite pontis usque ad hortos ex parte Circij inter Ecclesiam sancti Pauli & flumen Atacis &c. Facta carta hujus concordiaæ II. Non. Octobris, anno ab incarnatione Domini MLXVI.

## VII.

Litteræ Dalmatij Archiepiscopi Narbonensis, quibus Ecclesiam sanctæ Mariæ Narbonensis ( vulgò *Nostre-Dame de la Mourguier* ) subjicit monasterio Massiliensi.

*Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.*

**I**N nomine Domini. Præsentibus sit notum, & futuris non sit incognitum, quia ego Dalmacius sanctæ primæ sedis Narbonensis Archiepiscopus donator sum Deo & sanctæ Mariæ sanctoque Victori cænobio Massiliensi & Abbati Richardo & successoribus suis & monachis ejusdem cænobij præsentibus & futuris. Per hoc pactum scripturæ dono eis Ecclesiam nostræ diocesis, cum decimis & primiciis & domibus & oblationibus vivorum & mortuorum & terminis & pertinentiis suis omnibus, simul cum ipsa condamina quam solitus erat tenere Pontius Mainardus, & cum ipsis hortis, olearum videlicet & olerum quos ibi dedi in dedicatione ejusdem Ecclesiæ coram Narbonensi Clero & populo. Quæ Ec-